



1729. 21a
23

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS

*S*treif, JC_TV_S,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS.
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

X

1729



20
DR. C. V. N. A. S.
I. O. P. H. I. L. I. P. P. A. S.
C. T. A. S.

BRUNNEN'S
PHOTOGRAPHIC
CONCERN



Eges Pandectarum & Constitutiones
Codicis sub titulis de Postulando. ad
personas pertinent. quæ postulare
possunt, aut prohibentur. *Perez ad*
Cod. dict. tit. n. 2. prohibeantur autem
minores 17. annis. *L. i. §. 3. ff. b. t.*
quia adhuc infirmum judicium in
iis, qui ad plenam pueritatem non
dum pervenerunt, deprehenditur.

Post completum verò decimum septimum annum Postula-
lare permituntur. An autem hodie eadem actas sufficiat,
vix generali Regula determinari poterit; ubi tamen ex-
pressa locorum statuta non refugantur, standum erit juris
communis dispositioni. *Stryk. in usu modern.* *Pand. ad dict.*
Tit. §. 2. ubi §. 3. ait: Non tamen desunt, qui hodie acta-
tem majorem in Advocato præcisè exigunt, præsertim si
minorenitas exceptionem opponat Adversarius, ob ra-
tionem, quod legitimam personam standi in iudicio non ha-
beat, per *L. 12. Cod. de Procurat.* Verùm non confundendus
hic est Procurator cum Advocato. Minores 17. an. ergo pro-
hibentur propter actatem & pueritiam. Alii autem prohi-
bentur propter casum, uti furdi, qui prorsus non audiunt
dict. §. 3. versu. propter casum. Ubi Ulpianus rationem
redit; quia non erat permittendum ei postulare, qui ius-
sum vel decretum Pratoris non exaudit, quod etiam ipsi
erat periculosum futurum. Nam non exaudito decreto

X 2

Præ-

Prætoris, facilè, quasi non obtemperasset, ut contumax
pœnâ aliquâ plecti potuisset. Propter sexum prohibentur
fœminæ pro aliis postulare, quia in civile est, fœminas
promiscue se civilibus & virilibus negotiis inimiscere. *dist. L. 1. §. 5.* Ubi Ulpianus refert, causam huic prohibitioni
dedisse Carfaniam improbisimam fœminam, qua inve-
recundè postulans Magistratum inquietavit. Prohibitio
hæc sine dubio adhuc hodie obtinet, *ait Stryk ad d. t. §. 5.*
Verum, an hodie pro se postulare possit fœmina, quod
jure Romano ipsi permittebatur. *L. 4. Cod. d. t.* non con-
veniunt locorum consuetudines. Porro cœco, sive utro-
que lumine orbato, pro aliis postulandi licentia interdicta
est. *d. §. 5.* eo quod insignia Magistratus videre, & digni-
tatem revereri nequeat. Excipit etiam Prator personas
quasdam turpitudine deformatas, item qui capitali crimi-
ne damnati sunt, quia cum hi nec erga Deum, nec erga
se ipsos justitiam exercuerint, multò minus censendi sunt,
velle illam in aliorum negotiis exercere. *dist. L. 1. §. 6.* in-
super prohibentur postulare infames, quia officium Advo-
cati est honorificum & nobile, ut *D.D. colligunt ex L. 7.*
Cod. d. t. infames enim ab omnibus dignitatibus submo-
ventur. *per L. 38. Cod. de Decarion. L. 2. Cod. de dignitat.* Nec
debent pro aliis postulare damnati de calumnia judicio
publico, nec illi, qui operas suas, ut cum bestiis in arena
depugnarent, locaverint. *dist. §. 6.* Ubi Ulpianus hoc ple-
nius declarat, & addit: quod ha personæ, quæ pro mer-
cede, & non virtutis causâ cum bestiis pugnârunt, pro se
postulare possint, non pro aliis, nisi tutelam, vel curam
aliquam gesserint, tunc enim pro suis pupillis, vel adultis
postulare possint. *d. L. 1. §. 7. & L. 6. ff. d. t.* Ubi idem Ul-
pianus putat, omnes, qui necessario officio funguntur,
posse sine offensa editi postulare, licet alias non nisi pro
se postulare possint, veluti pro pupillo, furioso, fatuo, &c.
Porro judices & arbitri in ea causa, in quâ judicaturi
sunt, postulare lege prohibentur. *L. 6. pr. Cod. d. t.* cum Ad-
vocati ordinarii faveant sua parti, & suscipio sit, tales la-
turos sententiam in favorem sui clientis, ac nemo possit
in

in uno negotio esse iudex & Advocatus; nec non ille utriusque causa merita ad iustitia bilancem trutinare tenetur. Deinde potentiores aliis Patrocinium præstare non possunt. tot. tit. Cod. ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre. Porrò in Decretalibus tit. de postulando. interdicatur quibuscumque Clericis in SS. Ordinibus, quin & in minoribus constitutis, si beneficium habeant, ne in foro sæculari postulare præsumant, nisi pro se ipsis: vel Ecclesiâ suâ: vel, si necessitas exigat, pro personis conjunctis ac miserabilibus. Cap. i. § 2. X. de postul. In causa enim sæculari, & coram iudice sæculari advocare, est negotium sæculare, quod hujusmodi clericis inhibitum est. In foro tamen Ecclesiastico postulare non prohibentur, sed potius à sensu contrario universim admittuntur, prout notant canonistæ ad d. t. adeò, ut etiam confuetudine in curia promana id receptum sit. Quod si etiam in sacris constituti congruam sustentationem ex beneficio, vel aliunde habere nequeant, indistinctè advocare possunt in utroque foro, si enim Clerico advocare licet pro pauperibus & miserabilibus personis, ut illarum necessitatibus subveniat, multò magis erit illi licitum & honestum, ut propriæ necessitatibus & egestatis consulat: nam ordinata charitas incipit à se ipsa. Dicta procedunt in causa civili, non etiam criminali, in qua nullus clericus advocatus esse potest ex parte accusatoris, si condemnatio ad mortem, vel etiam ad membra abscissionem sequi posset. Cap. sententiam. 9. Ne Cleric. vel Monach. idque propter periculum imminentis irregularitatis. Pro reo autem clericus advocatus esse potest, in quantum eum pure defendit, & non petit accusatorem pœnâ talionis puniri. Quamvis DD. in hoc casu judicent tutius esse, ut clericus à defensione hujusmodi rei abstineat. Circa Religiosos illud speciale est, quod propter singularem subjectionem, & obedientiæ votum, nequidem in foro Ecclesiastico postulare possint, nisi agant causam concernentem directè utilitatem monasterii ex mandato superioris. Can. Depræsentiam 20. juncta gloss. verb. defensor. Can. Monach. 35. XVI. q. 1. Cate-

rum postulandi licentia hodie in plerisque judiciis adeo
restricta est, ut nec maiores, utot jurium sint peritissimi,
postulare possint, nisi ordinario Advocatorum numero
adscripti, & juramento speciali Advocatis praescripto, con-
stricti, de omni calumnia praecavenda, & causis ad justitiae
Regulas perorandis. Stryk, ad t. de postul. §. 4. Quos au-
tem Praetor prohibet apud se postulare, eos in tantum ar-
cet, ut non admittantur, etiam si adversariis patiatur eos
postulare. L. Quos prohibet 7. de postul. Quam legem pro le-
ctione cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

D O M I N V S

**CHRISTIANVS GOTTERIED
CONRADI,**

Qui ex tradito ab ipso vita curriculo, Patriam agnoscit
Burckhardsdorff, Vicum ad Circulum Misnensem rela-
tum, ubi die 4. Junii anno 1697. lucem primum aspexit,
natus autem ex Parentibus honestis, Patre nimirum
CHRISTIANO CONRADI, Seren. ac Potent. Reg. Pol. &
Elec. Sax. circa reditus, qui Accisarum nomine veniunt,
quaestore, & Senatus, qui Lipsiaz floret, illastris, in Tributis,
uti vocant, Conscriptore, Viro, dum viveret multis, qui
ejus officiis & operis usi sunt, laudato atque adamato,
Matrem vero habuit, Candidatus, ANNAM CATHARI-
NAM, e gente BOERNERORVM, Annabergo oriundam.
Teneros annos in scitu necessariis, maximam partem, sub
institutione B. Parentis privatâ consumxit, deinde Latinis
& Græcis literis, aliisque artibus liberalibus, in Lyceo Epi-
scopali Cizeni à Viris Doctissimis & Clarissimis Dn. M.
GODOFREDO GLEITSMANNO, tum Rectore, Dn. M.
JO. CHRISTIANO HERTZOGIO, tunc temporis Con-
Rectore, jam utroque defuncto, & Dn. CHRISTIANO
CRAMERO, antea Collega III. nunc Con-Rectore, instru-
ctus

etus, in Academiam Vitebergensem anno 1715. se contulit,
ubi non tantum quibusvis Philosophiaꝝ instrumentalis &
Practicꝝ partibus, praeunte Excellentissimorum Virorum,
BERGERI, JANI, HASSII, LOESCHERI & WEIDLERI
institutione, sedulam navavit operam, sed etiam ab ore Ma-
gnificorum ac Constitutissimorum Antecessorum, aliorum-
que Doctorum peperit, & Magn. HORNIO in exponen-
dis Jur. Can. Institutionibus, Illustri Dn. de WERNHER,
ad Grotium de Jure Belli & Pacis commentanti, & in Lau-
terbachii Compendium Juris prælegenti, aures dedit, non
minus discursus Magn. GRIEBNERT in Auream Bullam vi-
sitavit, ut & Magn. BASTINELLERI & Magno. MENCKENI
Lectiones frequentavit, primordia vero Juris apud Con-
sult. BRENDELIVM, Institutiones Imperiales & Struvii
Jurisprud. For. explicantem, & apud Excell. KRAVSIVM
Schoepferi Synops. Jur. priv. enucleantem, fecit, quantum
vero temporis, hisce pensis succidere licuit, in scholas
Theologorum theticas & polemicas impedavit. Triennio
Vitebergaꝝ peracto, Halam Candidatus Noster, anno 1718.
progressus, ubi Illust. THOMASIVM circa ipsius funda-
menta Jur. Nat. & Gent. ratioinamentum, Magn. BODINVM
de Juribus matrimonialibus edifferentem, Illust. Dn. ab
LVDEWIG Jus Publicum ex Coccejo, & Jus Feudale ex
Strykii Examine proponentem audivit, Magn. BOEHMERI
discursibus in Corv. Jus Can. institutis adscedit, Excellent.
LVDOVICI annotata in ejus doctrinam Pandectarum ex-
cepit, & Consult. FLEISCHERVVM, Griebneri Principia
Processus Judicarii, pragmaticis exemplis illustrantem fre-
quenter adiit, hic autem nec Clarissimi & Præstantissimi
WOLFFII acroateria Philosophica neglexit. Anni ferme
spatio in hac illustri Fridericiana emenso, Lipsiam se Can-
didatus convertit & numero civium academicorum adscri-
ptus est, ibi Præcellentissimorum Docentium prælectiones,
repetitionis gratia, paſſim perſcrutatus, tandem, Notarii
Publici Officio, coram inclito Senatu Lipsiensi adsumto,
circa finem anni 1719. Actuarii vices in Praefeturâ Wei-
densi subiit, quibus usque ad annum 1726. adstitit, si-
mul



mul & ab anno 1722. in praesens usque tempus administratio-
nē Justitiae in Praefecturā Mīdenfūrtenſi. Actuarii nomi-
ne contentus inter fuit, hisce autem judicialibus laboribus,
praxin, facultate eam prosequendi, clementissimē ipſi con-
cessa, ſemper conju[n]xit, quibus omnibus & capiſſendis
jamjam Jurium honoribus ut ſummus & omnipotens Lar-
gitor & imposta[re]r benigniſſime adſpirare velit, diuinam
clementiam implorat. Quapropter Facultatem Juridicam
hujat[em] adiit, & ad consuetum Doctorandorum examen
admitti decenter petiit, admissus, textus ex utroque jure
communicatos, tam exacte refolvit & enodavit, & ad Qua-
ſtiones propofitas tauri docte & ſolidi respondit, ut ad ul-
teriora ſpecimina edenda admissus, & gradu doctorali una-
nimis confenſu digniſſimus iudicatus fit. Quare cras horis
conſuetis ad diſt. L. Quor probibet. 7. ff. de poſtulando. Lectio-
nem cursoriam, eaque finita Disputationem de CESSIO-
NE BONORVM FAMAM NON SVGGILLANTE, ha-
bebit. Ad quos actus ſolennes, Magnificus Dominus Re-
ctor, nec non Domini Proceres & Cives Academici per-
humaniter invitantur. Publicatum ſub Sigillo Facult. Jurid.
XXX. Octobr. MDCCXXIX.

L.S.

(x228 2285)

V①
18

ULB Halle
007 436 564

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

Farbkarte #13

2729 272
23

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JC_TVS,
EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS.
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

1729